

IOANNIS SCHO

NERI IN CONSTRV-

CTIONEM ATQVE VSVM RE-

ctanguli siue radij Astronomici,
annotationes.



hinc & thuc

DRO Constructione reſtanguli instrumenti, siue radij Astronomici, fiat baculus, siue fustis quadrangularis cum superficiebus planis longitudinis 6, uel plurium cubitorum, quem hic reſpresentari uolo per lineam A B. Eum diuides in partes æquales quotlibet, nam quo plures eo laudabilius erit opus. Placet tamen hunc diuidere in partes 1300. Hoc modo: Diuide eum primo in 13 æquales portiones, quarum quælibet continebit 100, deinde quamlibet in 10 portiunculas, quarum quælibet 10 reſpresentabit. Demum inscribe numeros partium, ut in linea A B per 100 scandendo, donec ad 1300 peruenieris, & paratus erit fustis. Deinde fiant etiam brachia, siue pinnacidia diuersarum quantitatuum, & si omnia uelles conficere, fierent iuxta diuisionem lineæ A B, 21. nam sic primum & minimum pinnacidium ualeret 10 partes fustis, secundum 20, tertium 30, ita quod maximum & ultimum ac 21, haberet 210 partes æquales illis diuisionibus & partibus fustis A B. Sint autem perforati in medio ut fustis intrare possit, & ut faciant reſectos angulos cum eo, ita tamen quod circa eum hinc inde traduci queant absq; impedimento. Circa finem uero cuiuslibet pinnacidij, dispone clauiculum subtilem, aut acum. Similiter etiam circa A oculum centri unum, & erit paratum hoc instrumentum.

Pro usu huius trianguli Astronomici.

Applica